De Scriptoribus Romanorum legendis imitandisque

Disquisitio,

quam,

Consent. Max. Vener. Consist. Eccl. Lund.

pro munere Rectoris obtinendo,

publice proponit

ELOF CEDERSCHJÖLD,

Philos. Magister, ad Scholam Ystadiensem munere Rectoris h. t. fungens,

Respondente

WILHELM ÖHRSTRÖM,

Scano,

in audit. majori die XXIX Aprilis 1840.

h. a. m. s.

P. I.

LUNDÆ,

typis excudit CAROLUS FR. BERLING,

Universitatis Typographus,

1840.

Fuit tempus, cum latinitatis studium si non unice at reliquis saltem diligentius coleretur, summaque præmia non minus ad gloriam et famam, quam ad opes et auctoritatem ei propositæ essent. In scholis, gymnasiis atque academiis pueri tunc et adolescentes ad *trivium* latinum non secus ac ad ludum olympicum sese accingebant, nec doctus quis celebrabatur, nisi quantum latinam linguam ejusque literaturam calleret. Quamvis ardens hic latinitatis zelus jamdiu exstinctus videatur, et justa reliquarum disciplinarum *quadrivio*, quod nostro præcipue sæculo mirifice amplificatum est, dignitas constituta, tamen etiam hoc tempore nemo literaturam romanam sua præstantia defraudare audebit, qui vim et ambitum illius cognoscat aut sciat, quot quantaque commoda omnis scientia atque doctrina huic studio debeat. Romæ id singulare et plane extraordinarii contigit, ut bis imperio orbis occupato ad seram usque posteritatem terrarum domina jure salutaretur. Subjugavit enim mundum *Æterna Urbs* non solum florente republica aut triumphantibus Cæsaribus, cum staret decorata Orientis spoliis et Occidentis trophæis; imperavit forsan superbius et late patentius, cum e Vaticano Vicarius Christi ut quondam Jupiter Olympius e Capitolio fulmina sua emitteret. Repetitum hoc Romæ imperium imitata est linguæ latinæ potestas. Valuit illa sub aurea ætate, imperante Augusto, cum adhuc in rostris dominaretur Tullii suada, et Maro atque Mæcenas latinarum Musarum choro præessent. Decrescente vero imperio romano repente et lingua decrevit, suamque elegantiam et amplitudinem, qua reliquas omnes antecellebat, cum illo amittere visa fuit. Numquam tamen plane emortua dici potest hæc orationis latinæ majestas. Micuerunt adhuc in ipsa media medii ævi nocte illustria togatæ gentis ingenii monumenta, haud secus ac reposti Quiritium gladii, et barbariem pluries profligarunt. Sic, ut ad unum vel alterum exemplum provocem, quis ignorat, in ænea ac ferrea ætate, cum tenebræ undique oborirentur, in somnio flagella-

tum [1]) fuisse sanctum illum Ecclesiæ patrem, quod ciceronianus esset, et christianum Ciceronem propter dictionis copiam et ubertatem cognomen obtinuisse? Quibus genuinæ latinitatis inter barbaros conservatoribus procul dubio ob castitatem et nitorem dictionis associari possunt bina illa Africæ lumina, Cyprianus Carthaginiensis Presbyter, et Augustinus Hipponensis Episcopus. Quid multa? Tandem post longum annorum decursum, cum, everso orientali Romanorum imperio, artes et literæ, quæ ab Alarici tempore cum ignorantia et barbarie conflictatæ fuerant, respirare et reviviscere coepissent, quis nescit, quam latum dominium antiqua Romanorum lingua recuperaret, et quot commoda e restituta latinitate in Europam redundarent? Nulla fuit in christiano orbe provincia, nulla urbs, nullum fere oppidulum, ubi non homines affatim hac lingua uterentur. Illius beneficio Literati in Germania, Dania, Svecia, Polonia, Ungaria, Italia, Gallia, Britannia, Hispania, imo in remotioribus etiam terris commercia habuerunt, atque adeo id effecerunt, ut omnes totius orbis docti, ubicumque terrarum degerent, tamquam unius loci populares, vel Urbis cives esse viderentur. Quæ profecto causa fuit, cur literatissimus quisque linguam latinam commune christianæ societatis, vitæ et religionis vinculum appellare consuesceret. Hujus linguæ adminiculo gentes variæ hominesque innumeri a barbarie vindicati, bonis artibus instructi, optimas leges edocti, divina fide imbuti coelique capaces facti sunt. Latinus sermo cuivis ad eruditionem omnem atque sapientiam non modo viam præparavit et munivit, sed et aditum patefecit, si quidem eo viri præstantissimi ingenii et consummatissimæ doctrinæ disciplinas omnes excoluerunt, et nihil non cognitione dignum locupletissime et copiosissime pertractarunt. Qua una laude omnes reliquæ nobis contineri videntur. Qui enim illis temporibus præstantes fuerunt oratores, qui ingeniosi poëtæ, qui clari philosophi, qui humani pariter ac divini juris Vindices eximii, ii profecto latine optime sciverunt, nec præter hos multi res nobis utiles vel memoria dignas reliquerunt. Nulla nisi iniqua et barbara ætas obliviscetur Robertum Stephani, Erasmum Roterodamum, Scioppium, Danielem Heinsium, Justum Lipsium, Justum Josephum Scaligerem, Vossium, Brissonium, Sanctium, Perizonium, Hieronymum Vidam, Sanazarium aliosque latinitatis restitutores. Possem innumeros fere alios commemorare, quorum in sua quisque arte æque egregius ac in latinitate fuit. Sed mitto quæ in aprico sunt, et doctorum oculis exposita. Utcumque in historia omnium idiomatum, quibus cultæ nationes usæ sunt, quæsiveris, non invenies linguam aut literaturam, quæ huic æquiparari possit. Cum reliquæ linguæ similes videntur annuis plantis,

---

[1]) De Hieronymo flagellato, quod Ciceronianus esset. Vid. Dissert. Acad. Lundbladii.

quæ radices agunt, crescunt, florent, flaccescunt et in pulverem tandem abeunt, ut numquam reviviscant, hæc flores perennes æmulatur, qui vere novo novis formis redeunt, aut fabulosam refert Ægypti avem, quæ ne rogo quidem exstinguitur, sed vegetior, validior, pulchrior e flammis evolat. Sic latinitati nondum in his terris meta fuit. Nostris etiam temporibus, cum ceteræ linguæ, artes et disciplinæ studiosorum tempus et operam sibi vindicant, cum gallice, germanice et anglice scribere ac loqui ingenuæ instutionis est, et omnes disciplinæ cum practicæ, tum theoreticæ indies nova incrementa capiunt, latinitas a Lycæis nostris non modo non exulavit, sed adhuc bonum eruditionis et humanitatis subsidium a prudentissimo quoque rerum æstimatore habetur. Quare cum latinus sermo prima lingua sit, et grammatica illius prima disciplina, qua pueri in nostris scholis initiantur, a re non alienum existimavimus, cum Specimen quoddam pro rectoris munere obtinendo ederemus, nonnihil de scriptoribus latinis legendis imitandisque, ut et literaturæ classicæ suus honos constet, et studiosa juventus ex eo quam maximam capiat utilitatem, pro virium modulo et temporum angustiis publici juris facere.

§. 1.

Quamdiu nemo fere literatus aut bene institutus existimabatur, nisi qui latina præclare cognosceret, et aureæ saltem ætatis scriptores a teneris unguiculis nocturna et diurna manu versavisset, in Scholis et Lyceis jure præscribebatur, quinam *Auctores* legendi et quo ordine, a facilioribus ut Catone Majori et Cornelio Nepote ad difficiliores, ut Ciceronem, Plautum et Horatium, progrediendum. Omnibus enim scholaribus æque tum necessarium videbatur latina non modo non barbare, sed quantum fieri posset *classice* discere, si quidem nemo in ulla scientia doctus fieri posset, nisi hujus linguæ subsidio. Nostra vero ætate, qua multarum gravissimarumque rerum scientia comparari potest cum manca et imperfecta latinitatis cognitione, imo sine hujus linguæ notitia, qua etiam commentationes Academicæ haud raro vernaculis linguis eduntur et defenduntur; non opus est, ut scholasticæ leges in hac ratione tam definitæ et severæ sint. Quinam latini scriptores nunc in schola cum publica tum privata legendi, et quo ordine ac modo iis studendum, potius e rationibus internis, nimirum e judicio magistri, ex diversa puerorum indole, ingenio, ætate, eruditione futuroque vitæ genere, quam e præscriptis externis, pendere debet. Quemadmodum non ex omni ligno Mercurius, sic nec puer quivis *eloquens* aut poëta latinus evadere potest. Adversante et repugnante natura nihil effici solet. Quamobrem puerorum ingenia probe noscenda et diligenter præceptori curandum, ut in arte aut scientia, ad quam quisque natus videa-

tur, potissimum elaborent. Institutio certiorem gravioremque regulam non habet, quam sequi prudentis Ludimagistri est, ut cauti et providi gubernatoris, orientia et occidentia coeli signa attendere. Perspectis autem pueri natura et studio, atque cognito vitæ genere, non amplius dubium erit, quinam scriptor præcipue legendus. Si quis scholaris, disciplinæ bellicæ amantissimus, ad rem militarem se applicet, melius ei profecto consuletur, si in bellico tumultu Frontini vel Vegetii, quamvis æneæ aut ferreæ ætatis scriptorum, sudaverit, aut in Curtio vires periclitatus fuerit, ut de Carolo XII:o commemoratur, quam si in Ciceronis Libris *de Amicitia* et *de Officiis* operam et oleum perdiderit. Si quem naturæ studium oblectet et alliciat, si mirifico amore vel in artem medicam vel in rem rusticam, botanicam, zoologicam aut physicam incalescat, legat suo et præceptoris periculo Celsum *de re medica*, Varronem et Columellam *de re rustica* aut Plinii Majoris *historiam naturalem*, ex quibus certe plus oblectationis et fructus capiet, quam vel ex *Institutionibus* Quintiliani vel ex *Historiis* Livii aut Taciti vel ex *arte poëtica* Horatii. Contra si quis humaniora et liberalia studia amet, si tam fideli memoria, tam subtili judicio, tam vivida imaginandi facultate, tam diviti denique vena præditus sit, ut egregius orator aut poëta latinus existere possit, Delphica sequatur castra. Vatis instar Tracii *loquaci carinæ* et *Archipelago* se tradat, et quo spirant venti, vela tendat et cursum dirigat, ut aureum tandem vellus, palmam solutæ et ligatæ orationis sibi vindicet. Hunc magister non modo vulgares et tritas grammaticæ et rhetoricæ regulas doceat, sed omnes oratoriæ et poëticæ artis fontes ei aperiat. Commonstret ei quasi digito atticam Ciceronis proprietatem, dignitatem et elegantiam; lacteam Livii ubertatem; puram, placidam, simplicem et, quæ Dictatorem decet, cum admirabili majestate procedentem Cæsaris dictionem, atque pressam, acutam et paucis verbis uberrimas sententias exprimentem adeoque subobscuram Taciti scribendi rationem. Eum amare doceat innocentiam, urbanitatem et heroicam sublimitatem Virgilii, qui præcellentissimus, sive propriis sive tropicis utitur verbis, raro a poëtica veritate et venustate deflectit; admirari formosam et bene comtam Ovidii Camoenam, quæ jam tristis et severa, jam læta et jocosa, sed semper amabilis flores, adamantes et gemmas e copiæ cornu depromit et mirifica arte diademati suo innectit; delectari Pindaricis Venusini Odis; obstupescere Senecam, qui tragico assurgens cothurno sublimis æthera mente capit, et subirasci Statio, quem propter inflatam et túmidam dictionem fingunt sedéntem in summo Parnasso, casuro similem.

Legens hos aliosque priscæ latinitatis Antesignanos et inter legendum exercitationibus in latine meditando, loquendo et scribendo occupatus, ingeniosus adolescens sub auspiciis boni magistri cito intelliget et observabit,

quæ in hoc studio observatu dignissima sint, nimirum quænam primariæ stili virtutes, perspicuitas, suavitas et gravitas, quomodo argumenta et res inveniat, disponat, ornet et illustret, quomodo barbara et obsoleta verba et alia orationis vitia evitet, quomodo sibi ab humilibus, turpibus et obscenis elocutionibus caveat, quomodo figuris, tropis, dicendi ornamentis atque luminibus scite et eleganter utatur, verbo: omnia præcepta cum oratorii tum poëtici stili bene latini discet, et scribens ipse exsequetur, atque sic gradatim in Parnassum ibit. His subsidiis adjuti atque formati multi e recentioribus latinitatis scriptoribus priscos dicendi laude non modo imitati, sed etiam æmulati sunt. Sic Lipsius Tacito, Freinshemius Livio, Ernesti Ciceroni, Sarbievius Horatio, de Polignac Lucretio, Taubmannus Plauto, Ovenius Martiali, multique alii aliis æquiparari possunt. Atque etiam inter nostrates in hoc imitationis et æmulationis genere ad hunc usque diem illustria nomina habemus, quæ tamen pro dolor! magis magisque rarescunt.

§. 2.

Sed pauci apud nos volunt et pauciores possunt existere præclari in eloquentia atque poësi Romana. Qui in solidioribus disciplinis, ut in Theologia, Jurisprudentia, Medicina, Philosophia, Historia et naturæ studio tempus et vires consumunt, alia mente linguæ latinæ operam dant, quam ut in illa excellant. Plurimi eorum parum curant, si cum mulionibus Ciceronis balbutiunt et barbare scribunt, satis se doctos existimantes, modo ea, quæ in scientia, cui student, antiquo et recentiori ævo latine edita sunt, intelligere et ita stilo latino uti possint, ut scripta ab aliis intelligantur. Latinitas nimirum, qualis in ferrea, figulina, media et infima ætate penes eruditum vulgus fuit, non loquor de uno alterove latinitatis principe, novum plane *idioma* esse videtur, oriundum quidem ex Latio antiquo, usu tamen et propriis suis regulis ab hoc tanto intervallo distans, quanto Roma ab Argentorato, Parisiis, Lugdunis et Londinis; adeo ut, si quis veterum Romanorum ex Augusti ætate hæc recentioris ævi scripta legeret, difficulter intellecturus esset, quid dictum vellent. Neque tamen hæc media et infima latinitas omnino negligenda est, si quidem multa utilia et cognitione digna ab ipsis Monachorum lucubrationibus hauriri possunt. Refert itaque, ut bene eruditus adolescens, qui ad studium v. c. Theologiæ se confert, a magistro de *Patrum* atque *Reformatorum* scriptis mature instituatur atque ut illorum placita et dogmata primoribus saltem labris attingat; refert, ut juvenis, qui jurisprudentiæ deditus est, saltem obiter inspiciat jurisprudentiam *antiquam*, quæ a legibus duodecim tabularum usque ad Hadriani Imperatoris tempora se extendit, *medi-*

am, quæ complectitur secundum, et tertium post Christum sæculum, cum veteres Jurisconsulti, Ulpianus, Paulus, Pomponius, Celsus, Modestinus, Salvius, Julianus, Papinianus, Marcellus aliique floruerunt, et *novam*, quæ a Constantini magni tempore arcessenda et partim insolentibus græcismis partim dicendi ratione valde a veterum cultu aliena, atque adeo barbarie inquinata est; refert denique, ut, qui historiæ præsertim medii ævi studeant, saltem sciant, quibus lexicis et aliis subsidiis ad intelligenda et tractanda pretiosa illa hujus ævi monumenta literaria utendum sit; atque sic in ceteris disciplinis. Sed hoc valet de illis pueris aut adolescentibus, qui optima indole præditi, jam a teneris annis certam quandam scientiam præ reliquis amant, cui et tempus et operam consecrare licet. His præceptor ultra crepidam ire atque majora et difficiliora pensa absolvere permittat, modo diligenter perpendat, *qvid valeant humeri, qvid ferre recusent.* Qui vero parcius a natura dotati, in pluribus literis aut artibus mediocres, in nulla excellentes evadere possunt, aut qui tirocinia in scholis et gymnasiis ponunt, nondum determinata scientia, cui se præcipue tradant, aut constituto vitæ genere, quod eligant, iis tardius progrediendum est, et potius tritæ viae carpendæ, quam novæ et asperæ periclitandæ. Horum numerus in Lyceis maximus est. Hi regulam quasi constituunt, illi exceptiones faciunt. Sed his quoque lectio priscorum latinitatis scriptorum inter optima subsidia non modo stili bene latini, sed etiam necessariæ eruditionis et doctrinæ censenda. Et si quæreretur, quinam scriptores latini his præcipue legendi, non possumus non eorum sententiæ subscribere, qui commendant lectionem Nepotis, Cæsaris, Livii aliorumque aureæ et masculæ ætatis scriptorum, præcipue Ciceronis. Præclare itaque Scheller: "Inprimis, inquit, Cicero legendus 1) quia multos varii generis libros reliquit, in primis tales, quales hodie scribere solemus; 2) quia fuit homo egregie doctus, et egregio ingenio ornatus, hinc, ex ejus libris multa discere, inprimisque eorum lectione judicium nostrum acuere possumus. Nam quo quis est doctior, eo subtilior est in dicendo et scribendo, eoque magis acuunt ejus libri mentem lectorum, 3) quia fuit vir magnae experientiæ, sapiens, consul &c. 4) quia fuit omnium Romanorum disertissimus h. e. perspicue, graviter suaviterque dicendi peritissimus. Ex illo igitur artem perspicue, graviter suaviterque dicendi ac scribendi atque ita aptissima quaeque verba eligendi, uno verbo eloquentiam, per omnes ejus libros fusam, haurire possumus." His rationibus aliam, quæ nobis gravissima videtur, subjungegere placet. Cicero non solum eloquentiæ pater est, sed etiam, ut recte observat Herder [2]), pater censendus omnium fere latinarum scholarum totius

---

[2]) Herders Ideer till Mennisko-Historiens Philosophi. Öfv. Sthlm 1814, III Del. pag. 194.